

In  
7413

De vita & morte  
ILLVSTRIS. ET  
GENEROSI VIRI DOMINI  
TYCHONIS BRAHEI, EQVITIS DANI,  
Domini in Knudstrup, Huenæ Helleßponti Insulæ Præfe-  
cti, Astronomorum hoc seculo Principis, die 24.  
Octobris, Anno M. D C I. Pragæ  
desiderati,

ORATIO FVNEBRI\$

Iohan. Jessenii à Jessen.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

S V S P



ICIO.



PRAGAE

Typis Georgij Nigrini. Anno M. D C I.



EFFIGIES TYCHONIS BRAHE OTTONIDIS DANI  
DNI DE KNDSTRP ET ARCS VRANIE NBVRG IN  
INSVLA HELLISPONTI DANICI HVENNA FUNDATORIS

SED ESSE

RVDOLPHO II. IMPE-  
RATORI INVICTISSIMO, AVGV-  
STISS MOQVE, DOMIMO SVO  
CLEMENTISSIMO.

Amdudum, CLEMENTISSIME CAESAR, patriam  
deseruimus Daniam, consanguincos, & quos charos  
habuimus, & à quibus amati sumus, omnes. Peregrina-  
tionem hanc Iubenter tulumus & sustinuimus forti-  
ter. Nam illorum instar omnium nobis erat parens  
nostrus Tycho Braheus. Sed cùm nunc is etiam, ità iubente DEO, vi-  
tam hanc mortalem cum immortali alterâ commutarit, quò felicior,  
eò nos, tanto solatio, & præsidio maximo destitutos, longè reddidit  
infeliciores. Nuspiam igitur, post DEVUM, quàm in Te, nobis orphanis,  
spes vnica summaque relicta cum sit, in Tuam nos tutelam & prote-  
ctionem recipi, clementiâ erigi atque seruari, subiectissimi supplica-  
mus.

*Tychonis Brahei heredes.*

DE VITA ET MORTE DN.  
TYCHONIS BRAHEI. &c.

Oratio

D. JOHAN: IESSENII.

**N**ix quenquam ego, Illustres, Generosi, Nobiles, Amplissimique omnium ordinum Viri, tam duri cordis esse existimo, quem in expectatum amici, etiam vulgaris, mortis nunciun non commoveat. Certè quos necessariorum eorumque, qui vitæ autores ipsis extitere, a quibus iij etiam lucis huius cauſſa fuerunt, vel à quibus beneficio affecti aliquo sunt, occubitus vehementer non conturbet, hos ego ſaxa potius, quam homines, pronunciarim. Et quidem luctus huiusmodi, cum inter paucos sit, unam vel alteram domum non egreditur, aſtatem extra unicam ſeſe non exerit civitatem, quandoquidem priuat alicuius commodi jactura ſingulos non attingat. Communis vere boni privatio, quoniam cunctis vim inferat, omnibus damnum ad fert, indequè profectus dolor meritò quoque omnes exercet; et tante gravius eius amissio, cuius uſus fuerat in vita maximus. Quem verò vestrūm, per DEV M immortalem, ingens illud Naturæ bonum Generosum dico & Nobilissimum Virum, Dn. Tychonem Braheum Equitem Danum, cujus nomen per totam Europam diu jam exaudi tum est celeberrimum, latere potest? Et profectò ne in hominum quidem censu, nedum literatorum ordine reputandus is, qui ignoret quantis beneficijs literatorum genus is auxerit, divinis plane et nullo unquam ævo intermorituris ingenij ſui monumentis, quibus quæ in cœleſtium motuum ratione priscos fuderant plurima, indeſſo labore feliciter operâ nos & posteros nostros dexterrimè instituit. Vn

DN: TYCHONIS BRAHAEI.

de si, qui vivimus, vel invidiæ tabe affecti, vel ignorantia febri ægris  
ingrati istud diffiteri, & scientes videntesque, ignorare velimus: posse  
steritas tamen, si quæ modò ulla futura est, eaque erudita, æstimata  
ra, maximopereque istud deprædicatura. Hunc nos virum tantum  
Astronomiæ restauratorem, cæterorumque illius artificum hoc secundum  
lo facile principem, ante oculos vestros videtis depositum, vide  
mortuum, quem fato functum passim nunc inaudiunt exteri, far  
certè omnibus ingratissima; qui certatim paulò post condolentia suæ  
atque luctus publicum edituri sunt testimonium; quibus etiam, d  
bium citra ullum, istud in votis nunc est unicum, ut, aliâ cùm re ipsu  
prosequi amplius nequeant, saltem funerationis postremo officio n  
biscum præsentes affiant. Quantò igitur magis nobis, qui adsum  
& quorum oculis triste hoc spectaculum obversatur, istud velle  
præstare maximè convenit? Quod etiam, & frequentes, & lubent  
agimus, unâquæ tristi hoc vultu, gestuque, afflictissimos ipsius hæ  
des erigimus, nec parùm consolamur. At me, ut verum fatear, h  
magis magisque ad luctum invitant, in primis cùm apud animum  
peto meum, inopinatum & subitum occubitus Tychonis nunci  
primu[m] in funestas ædes ingressum, ubi conjugem honestissimam  
præ dolore sibi fermè exemptam & semimortuam, lecto affixam  
ducatissimam sobolem, obvolutâ facie, in tenebris, humili sedent  
& gementem; parietes pullatos; turbatam familiam totam; denique  
TYCHONEM meum feretro impositum, prius mortuum aspexisse  
quàm ægrotantem percepisse: eundemq[ue]; adhuc intueor, eo plorante  
affectu qui solarium exspectare potius, quàm id præstare alijs debet  
vel possit. Sed in tanta animi mei consternatione, quòd me & vo  
mnes fortassis reficiam, illud hoc tempore, quod passim usurpari  
let, mihi occurrit, impatientiùs eos solum plorandos, quorum tur  
vitam in honesta mors insecura sit; haud verò mori, quos virtus



## DE VITA ET MORTE

estet immortales. Id si sic habet, veluti verissimum est, TYCHONO  
ster mortuis haud erit accensendus: quod omnium sese faciebus  
erat virtus conspicua, ad cuius lucis clarissimos radios excæcari ne-  
se sit mendaces noctuas. Nam si quis clarâ patriâ natus, celebris  
licandus; si generosis ortus parentibus, primam virtutis sementem  
cepisse putandus; si liberaliter educatus, liberalis & ipse habendus;  
exelso ingenio præditus, sublimum disciplinarum adore incensus,  
que occupatus, exelsus & ipse existimandus; si ex fortunæ bono-  
n affluentâ felix censendus; si ingenii, editis in publicum in-  
tis & monumentis, planè diuinis, is tantò exaltentior aliis,  
antò sese alij hisce inferiores; si regibus, virisque principibus  
hæc charus, fortunatus exclamandus; si clarorum & magnorum  
minū applausus & collaudatio, laudatum & ipsum efficit; si com-  
odus v̄lus thalami; si morigera soboles; si denique placida mors,  
am atque etiam beatum præstare possunt: profectò TYCHONEM  
strum omne hic tulisse punctum, pro virili m̄cā ostensurus sum.  
quanquam optarim, alteri cuiquam, cui maior dicendi vis, minor  
tem ex luctu animi perturbatio, hasce partes iniunctas esse: tamen,  
n de eo viro verba mihi facienda sint, qui scipsum, etiam me tacen-  
cum in viuis esset, bonis omnibus prolixè probauit; ea etiam suppe-  
rumerum copia, ut quid è tantò dicendorum numero, pro temporis  
gustiâ, potius omittendum, quam commemorandum, cogitare ne-  
le sit; onus hoc mihi imponi tantò faciliùs passus sum. Quò etiam  
duxit plurimi temporis liberalis & suauissimi nostri conuictus,  
oris mutui, mutui officij recordatio, & denique hospitij nunc mei  
itinatio paulò ante mortem amicissima, & insuper in ipso deside-  
m mei hoc postremum. Veritatis igitur simplex cùm sit oratio,  
n est, quod à me verborum ampullas, aut ullum insolentem ser-  
mis habitum, h̄ic expectetis; quandoquidem deformia fucos desi-



DN. TYCHONIS BRAHE.

derent & glaucomata, nullâ ceruissâ indigeat per se decora facies, parq; sit vt orationis nostræ indumentum respondeat formæ vestitus. Proinde multa me paucis, illustria humilibus, læta tristibus proferre, patienter admittite. Patriam ergo quod attinet, ea TYCHONI nostro Dania est; quæ aliquot iam ante Christum natum seculis regiâ dignitate clara, plures semper sagatos, quam togatos, genuit: Iulij Cæsar is minas animosè contempsit, impetus illatos viriliter depulit, & cum vicinis populis frequentia bella gessit. Incolæ quibus Rex imperat, in equestrem & plebeium statum distincti. Inter equestris ordinis homines, qui inibi sanè amplissimus est, primario loco Brahei reputantur, qui ex Sueciâ, jam olim reges comitati, splendidissimis scudis, ob virtutem, fidemq;, in militiâ constanter præstitati, in Dania ditati sunt. Ante sexentos annos unum atque alterum ex hac familiâ ad regiæ dignitatis fastigium evestum, in annalibus Danicis legitur: Non pauci quoque Monasteriensem Episcopatum illum aureum superiorib; temporibus administrarunt. Quin & hodie in Sueciæ regno nobilissimo ex Braheis orti supersunt qui Regi proximi Comites salutantur. Et coram aspicitis Indlytum & Generosum Dominum Dn. Ericum, Comitem in VVesingeburgk, Liberum Baronem in Rhedebhollen, Dominum in Lindholm, qui ut domesticum infelicem absens dolet patriæ statum, sic funeris agnati sui præsens spectator tristissimus. Braheos genus suum ad Gostavos, Suetiæ Reges, non injustè referre, vel nummus quidam argenteus, juncorum manipulo notatus, à Regeq; Iohanne III. signatus, confirmat. Nam co insigni ad stemma deducendum, comprobandumq; suum omnes utuntur. Natus est TYCHO noster, anno Christi 1546. decimo quinto Decembris, inter nonam & decimam horam matutinam, Knudsturpij, in Scania siti, patri Ottoni, Viro militari & magnanimo, primogenitus:



## DE VITA ET MORTE

naria hactenus superstes audita est, per plurimos annos vidua; fœmina solida gravis, pietatis & pudicitiae toti sexui exemplum. Hæc filium suum sollicitè admodum educavit ad sanctitatem & virtutem cohortata sedulò, cui is vicissim omne præstitit obsequium: Quæ indoles egregia, in prima succrescente ætate, patruo suo Georgio Braheo admodum grata ipsum edò impulit, ut, cùm liberis careret proprijs, hunc adoptatum sibi asciverit, domi parentis loco, pædagogi operâ informari, donec decimum & sextum ætatis annum prætergressum Lipsiam emitteret, ubi, summâ alacritate literarum bonarum viam ingressus altiorem, in ijs pauxillo tempore ità progressus est, ut excelsi ingenij signa ediderit manifesta. Naturâ propensus erat ad cœli studium, cui tam diligenter incumbebat, ut, invito præceptore domestico, (cui juris studium cum discipulo tractandum injunctum fuerat) libellos astronomicos passim coëmeret, sineque intermissione perlegeret, Bartholomæo Schulteto, tûm studiorum caussâ Lipsiæ degente, clâm inconsilium adhibito. Noctu sereno cœlo, pædagogo inscio, lecto se se subducens, sidera omnia ē globo exiguo absque magistro etiam addidicit, velut etiam radio astronomico Planetarum motus diligenter observavit, atque sic integrum triennium Lipsiæ exegit; id quod & posteà, VVitebergæ & Rostochij, sedulò & constanter continuavit. Postmodum, cùm peregrinandi ipsum invasisset desiderium, Augustam Vindelicorum profectus, inibi in consulis Iohan. Baptistæ Henzelij horto maximum Quadrantem ligneum erexit, veluti & aliud, quod Sextantem dicunt, instrumentum, quibus creberrimè syderum motus exploravit. Inde in Italiam properans maximam illius partem perlustravit, atque de hisce disciplinis, cum viris, harum peritis avidè multumque contulit, unde indies magnam Astronomiæ notitiam indeptus est. In patriam per Helvetiam regressus, Basileam

D N. TYCHONIS BRAHEI.

fœmi solūm ob loci celebritatem, virorumq; doctorum, illic commorantium, complurium convictum, sed etiam quod regio isthæc, in trium amplissimorum regnum concursu, Italiam, Galliam, & Germaniam jungeret, è quo per crebriores literas cum eruditis agere commodius posset. Quod dum serio secum constituisset Tycho, Rex Daniæ FRIDERICVS II. Princeps literatorum amantisimus, de hoc ipsius proposito certior factus, accersitum pluribus dehortatus est rationibus, utquè in patriæ potius gloriam domi studia hæc vrgeret & perficeret, adhortatus: Et ne aulicis strepitibus, aliisque impedimentis, turbaretur, HVENNAM, Helleponsi Insulam, Latinis Venusiam dīam, vltro obtulit: Ex Camerâ item annuos certos redditus exsolui iussit. Hanc Tycho acceptans conditionem insulam ingressus est desolatam, quam breui tempore splendidissimis quibusdam ædificiis habitabilem, veluti & egregiis hortis, agris, piscinis, amænam & fœcundam, cultissimamque effecit. Instrumenta motibus cœlestibus, accuratissimè obseruandis, idonea, quæ iam Pragæ in Curtiano Palacio viua aspicitis omnia, magnæ molis, at maioris artificij machinas, fabricauit quamplurimas. Ex Academiis studiosos, pictores, sculptores cartopæos, typographos, omnisque generis artifices alios accersiuit ipsis victu & amictu liberaliter prospexit, salario item distribuit. Illi dies, noctesque, visum, lectum, auditum, scriptum, pictum, sculptum & fabricatum. Summatim; laboratum, vnicèque cœlum spectatum est. Horum operum fama mare traiecit ipsum, vniuersam Europam pene trauit, cāque ex omni parte inuitati, cateruatim, quotidie, spectatū ac turrerunt plurimi, quos hospitaliter excepit omnes, & pro dignitati ratione singulos, Reges, Principes, horum Oratores, legatos, Comites, Barones, Nobiles, Studiosos; imò tabellarios; quæ quanti sumptu res fuerit, cuiuis æstimare facilius est, quam imitari. Nam, quod ip-



DE VITA ET MORTE

joachimicorum, lauda bili ædepol prodigalitate, in Astronomica im-  
pendit. In hac Insulâ per hosce labores nata TYCHONI est NOVA ILLA  
MVNDANI SYSTEMATIS HYPOTHESIS, quâ hanc, quam inhabitamus,  
Terram, totius quidem vniuersi medium statuit, motus tamen omnis,  
secus quâm Copernicus voluit, expertem: nec etiâ iuxta hanc orbium  
omnium secundi mobilis centra versari, quod Ptolomæo visum est,  
permisit: Sed ambo solummodò mundi lumina, & vnâ remotissimam  
omnium aliarum concentricem, Octauam Sphæraram, in circumuolu-  
tionibus suis, Terram, tanquam centrum, spectare indulxit: reliquos  
verò quinque planetas circa solem, veluti regem suum, gyros ducere,  
ipso in omnibus illorum reuolutionibus, in medio constituto, affir-  
mauit. Hoc ingeniosissimo inuento cœlestium apparentiarū omnium  
exactissimas rationes reddidit, hoc obscura illustravit, dubia explica-  
uit. Stellas fixas mille multoties & diuersis instrumentis, nec mecha-  
nicè, sed per triangulorum rationes, viginti & vnius anni labore per-  
tinaci & indefesso, accuratissimè restituit, absque quarum rectifica-  
tione haud ullus constaret verus cuiusq; planetæ locus. Solis quoque  
& Lunæ motus quâm emendatos hic reddiderit, censere artificum  
est & laudare. Parem quoque diligentiam circa Planetas reliquos  
adhibuit: Neque quicquam, quod ad divinæ Astronomiæ instaura-  
tionem, perfectionemque, facere noverat, unquam vel segnis intermi-  
sit, vel invidus dissimulauit, occultauitque: id quod partim iam editi  
ipsius in lucem libri, partim excudendi, prolixè demonstrant. Astro-  
nomia mechanica, quam VVandersburgi, arce Ranzouianâ, ad  
Hamburgum sitâ, propriis typis, & ichnographiis elegantibus, primo  
egressus sui ex Daniâ anno, publici iuris fecit, instrumentorum fabri-  
cam & eorundem usum, fideliter comonstrat: sine quorum ope &  
subsilio vix vlla obseruationum constaret certitudo. Stellarum au-

D.N. TYCHONIS BRAHEI.

tò principium habetur necessarium & fundamentum: quod reliquo-  
rum planetarum rectè demùm sequitur instauramentum. Postremum  
opus, citra quod frustrà suscipiuntur alia, prædictionum formas in-  
geniose explicat. Atque hæc, ni fallor, vniuersæ Astronomiæ forma-  
cst, ad quam mihi TYCHO quoq; noster scriptiones suas direxisse vide-  
tur. Et iā profectò ex 36. an. certissimis obseruationib. absolutissimū,  
quod ab eo vnicè & diu expectatum, in publicum emisisset Astrono-  
miæ Theatrum, nisi migratio ipsius è patriâ, & inde vsque loci ali-  
quoties mutatio, operæ moram inieciisset perniciosa: cuius mutatio-  
nis & discessus ipsius cauſas, quas perhibuit graues & necessarias, alio-  
malo commemorare. Verùm hanc temporis jacturam facile resar-  
ciisset commodiſſimum otium, quod ipsi ante annos tres Augustiſſi-  
mus Cæſar RUDOLPHVS. Imperator secundiſſimus, fecerat clementiſſi-  
simâ in Bohemiam euocatione, & fustentatione liberali, nisi, proh fa-  
tum implacabile, hunc dira mors, diuino PRINCIPI, & nobis omni-  
bus, insperatò ademisſet. Nihilominus ne quis frustrà ipsum vixisse, &  
cœptum tantum, non verò absolutum, ipsius opus existimet, sciat, e-  
tot annorum luculentis obseruationibus, quas, theſauri loco, ſibi ſem-  
per proximas & cuſtodiſſimas habuit, quasque, Daniâ excedens, na-  
ue expositas, eo modo, quo aliquando Iulium Cæſarcm, magnâ pug-  
& clade elapſum, fuos ferunt commentarios, allocutus & exofculati  
est, habere hæredes, quibus etiam hasce, iā animam agens, ſerio con-  
mendauit, ædificii Astronomici ſufficientem materiam, cui forma-  
inducere poſſent Viri tres egregij, & TYCHONI, mathematicarum d-  
ſciplinarum peritiâ, noti & chari, & aliquandiu domestici, Doct  
Melchior Iostelius, Magister Christianus Longipontanus, & Magif  
Johan. Keplerus, inter cuius manus hæc omnia nunc verſantur.  
Quanquam Dn. TYCHO BRAHEVS, vt ad iuuandum commune boni  
vnicè natus, ſic ad præſtandum non tantum per totam vitam prop-



## DE VITA ET MORTE

sus, sed sollicitissimus fuerit, adeò ut nullum laborem subterfugerit, nullis sumptibus pepercere: nihilominus, ut mos mundi huius est, aliquot hominum ( si etiam tales homines sint ) reprehensiones evadere non potuit. Alijs enim ab auitâ degenerare virtute visus est, quod equestris ordinis, & grauissimæ autoritatis, homo, literas, & ex hisce mathematicas disciplinas tractaret, nec priuatim tantum ijs de- liciaretur, ( quo fortassis apud hosce veniam impetrasset aliquam) sed inde etiam publicam expectaret laudem atque gloriam: Dignus reputatus, cui nobilitatis ademptum resignaretur priuilegium. Huiusmodi domi & foris sustinenda compluria ipsi fuerunt judicia; solo ri- su, veluti & solebat, refutanda simplicitas & rudis ignorantia. Quod si enim inscitia stemma meretur, quis agrestibus futurus nobilior? Si scientia insignes efficit, quænam mathematicâ potest nominari præ- tantior? id quod docti intelligunt. Verum tolerabilis isthæc quo- lammodo fuerat judicij infirmitas hominum, errore potius, quam studio, eò dementiæ prolapsorum. At ab ijs, qui eruditionis titulis insolescunt, qui literarum & morum bonorum professiones sibi ven- licant, imò ab ijs, de quibus optimè semper, suomet ipsorum etiam testimonio, meritus fuerat, falsas criminationes, infamesq; calumni- s, exspectare & perferre, res mihi videtur longè impatientissima. Hoc acto, ante annos pauculos, quidam ingeniosus & doctus, sed absque eligione & virtute homo, tetricum & famosum contra præstantis- tum hunc virum divulgavit scriptum, quale in hoc genere non idit antiquitas, nec fortassis spectatura est unquam posteritas. Non sat fuerat infamatori illi plagium committere literarium, & LYCHONIS Hypothesin, Vraneburgi repertam, falsariè pro proprio vento venditare, nisi etiam Virum aviti generis, summæ eruditio- & inculpatissimæ vitæ, cum totâ ipsius honestissimâ familiâ, sex- tis contumelijs & totidem mendacijs, apud alios si non deforma-



DN: TYCHONIS BRAHÆI.

tum, suspectum saltem reddidisset. Et profectò jure actum cum hoc  
fuisset, velut etiam jam agi cœptum fuerat, nisi mors feram illam  
singulari beneficio affecisset, & pœnæ subduxisset commeritissimæ.  
Sed quemadmodum Tycho ipse sese, dum viveret, contra ejusmodi  
calumnias, conscientiæ innocentia, plurimorum item Illustrium &  
doctorum Virorum judicio, consolatus est: sic etiam cuilibet recte  
sentienti eadem hæc non abundè non possunt satisfacere. Ob in-  
genij & doctrinæ excellentiam, nominisque celebritatem, Invictissi-  
mus Cæsar RVDOLPHVS, Princeps sapientissimus, (quem meritò primo  
loco nomine) in aulam suam accersitum voluit. FRIDERICO vero II.  
Daniæ Regi, tam charus, tam magnus, tamq; bonus habitus, ut nihil  
quod majoris momenti fuerat, absque hujus scitu susciperet. IACOBVS  
III. modernus Scotiæ Rex, carmine TYCHONEM laudavit. ERNESTVS,  
Elector Coloniensis, plurimum huic semper favit. GVLIELMVS  
Hassia Landgravius, per multos annos, literis, de rebus, ad Astrono-  
miam spectantibus, cum ipso certavit: quæ primo epistolarum ipsius  
libro editæ continentur. VDALRICVS, Dux Megapolitanus, quò in Da-  
niâ ipsum retineret, nihil non tentavit. Longum foret omnes, per  
Europam, ex imperiosâ familiâ natos, defunctos & superstites, quo-  
rum ad TYCHONEM clementissimæ extant literæ, & spectantur mu-  
nera, huc accensere. Sed eruditorum, Dij boni, quot exaratarum ad  
ipsum epistolarum volumina, abstrusis quæstionibus plenissima? Ned  
ullum hoc seculo opus eruditum, & in Philosophiâ egregium, divul-  
gatum, in quo non TYCHONIS nomen aliquoties legatur, in quo non  
ad ipsius autoritatem provocetur. Et, ut è plurimis paucos nominem.  
Franciscus Patritius, Clavius, Scaliger Iosephus, Vlmus, Maginus  
Röslinus, honorificè hunc, & frequenter, scriptis suis compellant  
Quis igitur tam exmens erit aut sensus reprobi, qui non tot Illustri  
& doctorum virorum candidis de DN. TYCHONE censuris ipse etian



## DE VITA ET MORTE

ubscripturus sit, veritati<sup>que</sup> calculum adjecturus suum? Non Deum  
 TYCHONEM facio sed hominem fuisse, & scio, & affirmo, cui nobiscum  
 omnibus errare arque labi fuit commune. Non diffiteor quoq; aut  
 pernego, & suos ipsum habuisse nævos, quibus mortalium haud ex-  
 pers ullus est. Istud tamen, coram quocunque, certâ cervice testari  
 possum, & testor quoque, totis illis novem mensibus, quibus, trienni-  
 um ante, VVitebergæ cum familiâ mihi convixit hospes, eum sese  
 gessisse erga Deum & Homines, quod Christianum & literatum ho-  
 minem apprimè decuit: cum conjugé honestissimâ suique observan-  
 fissimâ fœminâ, maximâ vixit concordiâ: liberos, ex octo adhuc sex  
 superstites ad pietatem & modestiam assuefecit: filios, qui ipsi duo, stu-  
 diis, acu & colo filias occupauit, odio peccatorum seminario, infensif-  
 imus: nec diffluere cæteram quoque familiam passus est. Cōforti suæ  
 facilis; seueritate verò reliquos continebat in officio; erga peregrinos  
 xomis; hospitalis; liberalissimus in pauperes. Verbis ipsius veritas, &  
 præcuitas; gestui & vultui grauitas; consilio prudentia; factis felicitas  
 iinerat. Nihil fictum, nihil simulatum in ipso, sed scapham sca-  
 pham appellabat; vnde omne, quod sustinuit, odium. Nihil in ipso  
 humile, nihil deiectum, sed sublimem ferebat supra omnes fortunæ  
 aminas animum. Nulla in ipso, præterquam temporis, animadaersa a-  
 paritia: ipsi vita studia erant; deliciæ verò meditatio; diuitiæ scientiæ;  
 virtus nobilitas; religio dilectio. Fastum detestabatur omnem, omnem  
 inanem sanctitatis iactantiam. Non iræ tenax & offendionum, sed ad  
 condonandum facilimus; vtque uno dicam verbo, quod ab alijs expe-  
 stabat, idem promptissimè præstabat singulis. Prodeesse cunctis stude-  
 bat, nocere vero nemini: Haberem, quæ plura de ipso verissimè prædi-  
 carem, si id, qui me grauiter exercet, luctus sineret, nec nossem vobis  
 aliâs hæc omnia satis superque cognita & perspecta. His animi doti-  
 bus T Y C H O noster præditus, cum viueret, quibus etiam nunc in



D N. TYCHONIS BRAHE.

mis bonorum viuit, & victurus perpetuò est. Has exornarunt fortuna  
bona, quæ hæreditate consecutus fuerat amplissima, veluti insuper  
sperare poterat olim maiora. Neq; etiā corporis hūc destituit bona atq;  
decus: erecta statura, firma & virilia latera, facies decora & aperta, quā  
ante annos triginta Rostochij quidā noctu, ausu prorsus sicario, læsit  
vestigio ad mortē usq; semper conspicuo. Valetudine antehac sempe  
vitus fuit prosperrimā & inoffensā, quē deinceps loci mutatio & ipsam  
paulatim immutauit, nutantemque reddidit: vnde & ipse breuioris vita  
conieaturā desumpsit. Aestate præteritā deterius longè habere cœpit  
quod tamen, quantum potuit, apud suos dissimulauit. Crebriores cun  
amicis lætitias abrumpens de morte sermones instituit: quin & domi  
familiā intereā temporis plurima animaduersa prodigiosa, veluti &  
meus aliquid Genius præsensit. Nam eo ipso, quo ægrotare hic cœpi  
die, ego historiæ Anathomiae Pragensis finem imponens VVitebergæ  
atque ad lectorem præfationem amanuensi meo dicitans, plurimo  
rumque fautorum & amicorum nomina recitans, de repente hæc iuss  
scribere: Tu vero, Generosè Dn. Tych o, fermè mihi excideras. Nan  
ignoro hactenus cœlum an terrā potiùs habites: num suspicias, an de  
spicias. Salue tamen mihi cum T y p o t i o nostro, ( quem similito  
ignorabam mortuum) ubique sis, plurimum. Dies, qno in mor  
bum incidit, 13. Octobris erat, qnem ipsi intempestiuā inuitauit ver  
cundia. Ad Illustrissimi enim viri cœnam cum aliis vocatus hospit  
vrinam suppressit, quæ, confessu protracto aucta, vesicam ita distedi  
vt, quasi luxata, postmodùm excernere voléti, amplius non obedieri  
Hinc subsecuta ischuria, & doloris vehementia, quâ, cucurbitæ insta  
attractus sanguis visicæ phlegmonem induxit, quam illicò, vt sole  
febris comitata continua, & ab hac leuiuscum exortum deliriū  
Qui affectus eò à me designatur deductiùs, ne veritati forsitan vis  
i. i. Nocte cum insus mortem præcessit ultim



## DE VITA ET MORTE

obtinuit cas à morbo inducas, vt magnâ facilitate & consideratè plu-  
ma ordinari. Et quemadmodum poeticæ à pueris usq; fauens studio-  
us expeditum & elegans fudit carmen: ità morti vicinus vere cygnæ  
Eanere prolixè auditus est, quam etiam multoties suos iussit excipere:  
ardentissimos ad D̄VM, pro concessâ vitæ usurâ, pro exhibitis innume-  
ris beneficiis, pro publicâ concessâ pace, pro tributâ toties CAESARI lætâ  
victoriâ, proq; bonis abundè in commune collatis omnibus, hymnos  
modulatus est; pro placidâ animæ emigratione, pro cœlesti diuerso-  
rio, profundis suspiriis supplicauit; Ecclesiam, Rempub. suosq; omnes  
diuinæ protectioni commendauit; curam egenorum habere sine respe-  
ctu omnium suis seuerè iniunxit; piè & honestè viuere, diuinumq; spe-  
are auxiliū iussit. Atq; sic, inter preces & cohortationes, nobis omni-  
bus & vitæ huic valedixit, tam tranquillè, vt deficere nec visus sit, nec  
fuditus. Sic itaque die ab hinc duodecimo, qui erat 24. Octobris, cùm  
Ennos vixisset 54. menses 9. dies exactè 14. humanis exemptus est vir  
Illustris & Generosissimus Dn. TYCHO BRAHEVS, singulare Naturæ  
Beneficium, & literaturæ ornementum; quem non tam clara patria,  
nobiles genitores, corporis, fortunæq; bona alia, quām excelsa mens, &  
diuinum ingenium, carum amabilemquè principibus, doctisq; viris,  
deoq; vniuersis, præstitere, cuius mors, quam pia & honesta vita præ-  
cessit, haud mala esse potuit: eius nūc exuuias, & quicquid in ipso mor-  
tale fuit, terræ committimus, officio humanitatis vt postremo, sic ma-  
ximo: pars ipsius verò melior, hoc est, anima, IESV CHRISTI seruatoris  
ostri sanguine preciosissimo redempta, cœlum, quod anteà suspexit  
& meditatus est, cum beatis omnibus, inhabitat, cuncta-  
que hæc inconstantia despiciens, vitam iam viuit  
verè immortalem.



# Epitaphium.

Iam dudum sursum, nunc primum spesto deorsum,  
Despiciens mundum, suspiciensque Deum.

DISTICHON ANNVM, MEN-  
SEM ET DIEM OBITVS O-  
STENDENS.

OCTOBRIS VI ISAEST VT LVX VICeSIMa  
q Varta,  
AVLA sVbIt CæLI te Generose TyCho.

A. I.

C



# ELEGIA IN OBITVM EIVSDEM Dn. TYCHONIS BRAHE.

**T**V quoque funebris pars haud incognita pompa,  
Appositos lacrumis funde Elegia modos.  
Terrigenas animis potuit qui sistere cælo;  
Terrigenum tumulo conditur ecce manu;  
Assuetosque oculos cælestem pandere lucem  
Fusa super tenebris invida claudit humus.  
Gratuler ambiguum est, an laxem frena dolori?  
Dum meditor, lacrumas utraq; causa ciet.  
Infelix mundis oboles, homo dedite mundo;  
Emundo reliquum quid tibi parca facit?  
Quandoctiam lethes Sapientia mergitur undis,  
Divinasq; animi mors populatur opes:  
Nec jam sideria & frigentia pectora curæ  
Demulcent solitis vitâ abeunte modis.  
Si pars est hominis melior, mens edita cælis,  
Vilia si terræ pondera corpus habet;  
Si probat ipse Deus, pecudum contemnere vitam,  
Pingua non ventri thura adolere deo:  
Sed memorem esse sui, celeresq; patrare per annos  
Dignum aliquod tanta nobilitate decus;

Si

**M**Si potior mentis quam corporis ulla voluptas,  
Pulchrior illius si, meliorq; labor;  
Si patrias animo præstat decurrere sedes,  
Et laudem autoris commemorare Dei:  
Debuerant equidem pulchræ molimina mentis  
Occidui fato corporis esse super.  
Nunc veluti nigris fulgens in nubibus arcus,  
Has simul ac venti dissoluere, perit:  
Non secus astrorum tot jam quæ sita per annos  
Notitia, & celeris mobile mentis opus,  
Quod visum Vranie fertur mirata sub astris,  
Exemplo sensus obstupefacta sui:  
Heu mihi, non potuit motu superesse cerebri,  
Nec nisi prægressis sensibus ire comes.  
Scilicet ipsa etiam quondam pulchra astra peribunt,  
Et res instabiles fluxa sigilla decent.  
Scilicet exiguum est, & vasto ex equore gutta  
Quicquid sideriâ de ratione tenes.  
Vtq; babit floris lux irradiata colorem,  
Ipsa sibi nullus de Phaetonte color:  
Non aliter viles sensu monstrante figuræ  
Mens hominis, crassò corpore mersa, videt.  
Aut tenuë aut nihil est, species aut proxima vero,  
Aut pars in promptu est, pars adoperta latet:  
Divinos puro donec de fonte liquores  
Corporis è vinclis, morte soluta capit.  
Non igitur miser est, lacrumis non aptus acerbis,  
Solatur domini quem modò blanda manus,

Oblitum levium, capiat quō maxima, rerum,  
Iam vacuum curis, improba vita tuis.  
Non poteras lethum pulchram prævertere palmam,  
Arte triumphatā, sideribusq; venis  
Non poteras penitus doctrinam extinguere mentis;  
Quam spargit totoplurimus orbe liber.  
Audijt hinc vivus magnas Pæana per urbes,  
Posteritas omnis quem benè grata canet.  
Gratulor hanc meritò sortem. Sed causa doloris  
Non leuis à nostrā nunc mihi parte venit.  
Non me atam longæ jungam suspiria pompa?  
Nene hilarem jubeat publicus esse dolor?  
Nam velut si quā stagnantibus incidit undis  
Scrupulus, & fluctum motio prima dedit;  
Addit se in spacium, viresq; acquirit eundo  
Circulus, atq; omni littora parte ferit:  
Non aliter, qui janæ Pragensi mæror ab urbe  
Nascitur Eoïs occidusq; plagis,  
Regna per & gentes, magis ac magis auctior, errans  
Conturbat vestras Auster & Eure domos  
Dania cum primis Brahem patria plorat,  
Famq; suum Atlantem non abijisse velit.  
Illustrisq; domus, columen, Braheia, regni,  
Occubitu Solis, lumine cassa, sui,  
Luget & ad luctum socios vocat ordine Billos,  
Rudros, Rantzovios, pulchraq; ferta Rosæ.  
Stemma viri fulgens, regnum sibi vindicat unum:  
Doctrinam censem omnia regna suam.

Fama

Fama Caledonium longè transabit in orbem  
Signaque memoris Rex Jacobe dabis,  
Musarum cultor celebris, tecumque per orbem  
Musarum quotquot mystica sacra colunt,  
Seu princeps ditione potens, seu Flamen honore,  
Quos loquitur propriâ pagina scripta manu;  
Seu quocunque loco stellarum conscius artis,  
Cui fuit in voti parte, Tychonis amor.  
Non ita fatidicas ibant crebra agmina Delphos,  
Sollicita ambiguos aure notare sonos:  
Quam super arcano cælorum plurima motu  
Brahæas adiit litera missa manus.  
Conticuit vates, migrant oracula terras;  
I, quære hinc alios Delphiaturba deos.

**T**u vero ante alios Cæsar, ter maxime Reges  
Non aliquem motum corde latente capis?  
Venerat immixtus Phenix dilapsus ab Arcto,  
Atque in Tentoniâ nidificabat humo.  
Phænicem propriâ voluisti cernere in aulâ:  
Non alia imperio dignior ales erat.  
Venis summa dies, propararunt fata receptum  
Phænicem flammis Phœbe adolere tuis.  
Quod minus hunc flocci credam Te pendere casum  
Impedit officium, dñe Rudolphe, tuum,  
Armatum Imperij depellere finibus hostem,  
Tutari pacem justiciamque domi,  
Et studia atque artes validas plantare per urbes,  
Vnde hominum capiat commoda multa genus,

Percipiatq; Dei justas sapientia laudes:  
Hæc sunt imperij munia summa tui.  
Outinam nunquam tua sceptra fatiget Erinnis,  
Arma domi nemo concitet, arma foris,  
Nulla intemperies languentia corpora tentet,  
Quod satis est, fundat terra, petantq; manus.  
Non ideo nulli cingant tua lūmina fasces,  
Non minor hinc regi retribuatur honos:  
Te duce certatim speculentur sidera cives,  
Quantaq; divinæ sint monumenta manus.  
Scilicet hæc una est divini meta laboris,  
Hæc hominum decuit vita beatæ genus,  
Hanc equidem Eois vitam vixisset in hortis,  
Si posset vetitis abstinuisse bonis.  
Nunc immorigeros Nemesis divina, magisq;  
Trux hominem duro pectori plectit homo.  
Terra homines plectit, tribulos commutat aristis,  
Torrida nunc æstu, nunc adoperta nive.  
Hinc genus Adamidum duras damnatur ad artes:  
Sidere à cunctis non vacat arte frui.  
Hanc tamen esse tuam voluerunt numina curam,  
(Parimmortali regia turba Deo)  
Has etiam ingenuas in sceptra reponere curas,  
Quoq; potes, arctas amplificare, modo.  
Tempora nobilibus condunt pereuntia signis;  
Ætatem mundi pectora bruta docent;  
Quanta sit, expediunt, cœlorum condita moles,  
Quamq; sit humanæ commoda forma domus.

Ne

Ne velut ignota vivat peregrinus in urbe  
Terrigena, hospitij nescius ipse sui.

Incipe mortalis, stolidos deponere fastus  
Quantula de mundo portio, quæso, tuâ est?  
Quin etiam humanos adjutant gnaviter usus  
(Ores ingratissimè iteranda viris.)

Vranien facunda Ceres Bacchusq; loquuntur,

Fauni Capripedes, Arcadiusq; deus,

Vranie instabilem constrinxit Nerea nautis,

Æolia, Vranie sub juga, castra dedit,

Hæc avis Hispanos alium deduxit in orbem,

Huic cessit clausas gens tremefacta fores,

Vranie Batavos servâ servavit ab Arcto,

Quos fugit multo tempore clausa dies,

Tanta dedit quondam cultori premia dives;

Non equidem cunctas, credite, fudit opis;

Claudit inexhaustam gremio prædivite gazam,

Dat nova non pigris munera, culta, viris.

Vim cæli reserate viri, venit agnita ad usum

Ignoræ videoas commoda nulla rei.

Clausæ aperire labor: sed apertis, non labor, uti

Naturæ, ingenio, vim reserate viri.

Mi quoq; Diva potens, propius perculta, dedisti,

Ne cruciet mentem vana supersticio.

Dulcia non poterat compescere somnia Moses

Suspicio magnos fecerat astra, Deos:

Forte etiam magicas venissem promptus ad artes,

Eliciens Orco, quos regere astra putant:

Intima quantissper non ad penetralia veni,  
Explorans vires lux animosa tuas.  
Consulat astrorum vires, quicunq; laborat  
Cum fructu vetitis ob vius ire libris.  
Tuq; adeò immanes terris avertere pestes  
Si (quod Sacra jubent.) dive Rudolphe cupis;  
Si tibi sunt cordi miser& nova commoda vite,  
Gloria si sumimi, cultus amorq; Dei:  
Hanc etiam clemens studiorum amplectere partem,  
Consciam & astrorum perge fovere Deam.  
Stravisti Scythicum non unâ clade tyrannum:  
Imbellem exsuperat tandem etiam irvidiam.  
Millia militibus, veniant modò singula Musis:  
Neutra gravant redditus invida lingua tuos.  
Si tamen usq; adeò multas rapit omnia miles;  
Si cunctas adeò Mars populatur opes;  
Servanda est in opit antilla pecunia fisco;  
Et nihil est studijs, sordide Rhetor, opus:  
Deme cathenato preciosa monilia collo,  
Sit simplex vestis, mensaq; parca tibi;  
Luxurie inopi famuletur publica fisco,  
Nam nihil est illis, sordide Rhetor, opus.  
Tunc etiam fovea fisco cedemus honores;  
Astra locum castris, ingeniumq; dabunt.

Iohannes Keplerus mæstus  
posuit.

IN.

INCOMPARABILIS VIRI TYCHONIS  
BRAHE Atlantis Cimbrici, & Equitis Torquati  
Elogium.

**E**Duxit, perhibent, immanni mole Gigantes  
Simplicibus tellus denuò culta viris.

**H**i tentare quidem Cœlos ascendere quondam,  
Quos tamen in terram Dii repulere statim.

**A**t nostris alium video as genuisse diebus,  
Ipsum cui Cœlum sarcina parva fuit.

**H**ic, cui non totus terrarum quæ patet, orbis  
Sufficere, eventu judice non potuit,

**H**ic, dico, ille **Gigas**, quem fama reclamat, harmis  
Astriferos cœlos imposuisse suis.

**H**ic, voluit stellas flammantes inter Olympi  
Vivere, sic scrutans intima claustra Poli.

**V**nde refert nobis victor **Mysteria cœli**,

**Q**uicquid **E**⁹ occulti magnus Olympus habet,

**H**inc video as monumenta viri, quæ Cœlitus ipse  
Edocetus, nobis conspicienda dedit.

**H**&c si vidisses oculis Diodore, **M**inialis stupendis  
Dixisses septem connumeranda tuis.

**C**edite jam Primi Inventores, cedite tandem  
Viribus hic cerebri vos facit arte rudes.

**H**ei mihi! **Q**uid video? rumpit mea verba quid inter?

**O** mea quid subitus occupat ossa tremor!

**O**ccidit! hei vobis Cœlum fulgentiaq; astra!

**O**ccidit ipse Tycho summus **E**⁹ alter Altas!

**Qui**



Quid vestrum TEIXOS misistis abire Typhonem,  
Cui semper vestri maxima cura fuit.  
Antea quem nobis, ecce, astra de dñe benignè,  
Invida nunc oculis surripuere meis.  
Non ego macresco. Neq; si mihi vera fatendum,  
Terra fuit tantum digna tenere virum.  
Nunc Tycho ipse SVO speculans spatiatur Olympo,  
Atq; ipsi specula est, quod fuit ante scopus.  
Ergo sui voti compos jam despicit alto  
Osorem, dicens : Niltua dira moror.  
Niltua dira moror, Fortunæ victor & ipse  
In terris post hac degere non cupio.

Paullus Ianus Colding  
Cimber.

FINIS.



DESP

ICIO.



QKTh 1113

ICIO

9230

1077



